Tricinium votorum harmonicum,

quod
nuptiali festivitati
Viri perquàm Reverendi, Amplißimi, Excellentißimi,

DN. JOHANNIS CYPRIANI,

SS. Th. Lic. dignissimi, PP. Physices
benè merentissimi, Majoris Principum Collegii Collegiati
gravissimi, Patroni atq; Præceptoris sui
colendi,

SPONSI,

& fœminæ
familiæ splendore, formæ & morum elegantiâ omniumq;
sequioris sexûs virtutum cumulo laudatissimæ

CHRISTINÆ,

Viri Nobilißimi, Amplißimi, Consultißimi

DN. FRIDERICI TOBIÆ MÖBII,

J. U. D. & Curiæ supremæ provincialis Advocati ordinarii,
beatè defuncti, Viduæ,

SPONSÆ,

Octavo Calendas Februarii Anni M. DC. LXXX.
institutæ,
trinô labiô, unô animô,
dissonâ voce, consonâ mente
accinuêre

Tres Sympatriotæ.

Typis Eliæ Fibig.

Licentiatus JOHANNES CYPRIANUS,

Professor Publicus.

Anagr. 1. Polyhymnia:

Abes, Sophia, non ſponſa; Cypris, cui ille junctus fertur.

2. Alia Muſa:

Abes: Sophia ſponſa, non Cypris, cui ille fertur Junctus.

3. Apollo.

Cypris & Sophia ſponſa. En !cura illi funus! curet nobis.

Enodatio.

Langvida ſopito laxâram corpore membra,
I n molli fuſus ſtagnantis ceſpite ripæ,
C ircum Pliſſa fluit bibulos ubi leniter hortos,
E t ſubitò en! Helicon viſus mihi totus adeſſe,
N ec Phœbus, nec turba aberat ter trina Sororum.
T antaq; majeſtas Philyreis undiq; campis
I lluxit, quantâ Pindus vix ipſe coruſcat.
A ltiùs aſſurgunt vernantia gramina Regi.
T ùm ſic ore mihi prior eſt Polyhymnia dulci
U iſa loqui: O Sociæ, tuq; ô, Rex noſter Apollo,
S it mihi rumorem fas atq; audita referre,
J ure animum curis malè diſcruciantia noſtrum:
O ptimus eſt civis, cunctis gratiſſimus unus,
H eu! pravæ Cypridos Cyprianus compede vinctus!
A h! *abes* ex animo, *Sophia*, ah! *non ſponſa* cupita es;
N am *Cypris, ille cui fertur* (mala nuntia!) *junctus!*
N *on Cypris, ille tui fertur* (ſonat altera,) *junctus*
E ſt (*abes* à vero,) *ſponſa;* at *Sophia* eſtq; manetq;.
S cinduntur reliquæ ſtudia in contraria Nymphæ.
CYPRI s ei *&* *Sophia* eſt *ſponſa*, interpellat Apollo
A rbiter, *en! illi* accederat *cura* ardua *funus*,
N î videam; *nobis* Cyprianum hem! Cypria *curet.*
U na animum hæc blandâ viduæ vel virginis ægrum
S edat Rhetoricâ, cui dent mille oſcula pondus.
P erſtat adhuc ſponſus Sophiæ dilectus Alumnus,
R umpi Conjugii pactum inviolabile neſcit
O lim contractum, ſemel ut data dextra fidesq; eſt,
F œdera cui nova nil cum Cypride ſancta nocebunt,
E t Paphiæ & Sophiæ dignus mihi viſus amore,
S ponſus utriq; datur; ritè ergo vacabit utriq;,
S olvite corde metum; veteres non negliget ignes.
O ſcula conſumtum ſtudiis libata vigorem
R eſtituent ſimilesq; Patri ſperamus Alumnos.
P rotinus in toto reſonabant æthere plauſûs
U nanimiq; viro mente omnia fauſta vovebant,
B landaq; res docuit veracia ſomnia & Echo;
L udor, an (exclamo,) Cyprianus Cypride victus?
I *ctus.* In amplexûs ſponſam nunc, quæſò, recondet?

Con-

C *ondet.* O æternùm, precor, ergò incendia durent!
U *rent;* Insidiis Eridos DEUS ipse resistat!
S *istat;* mortis agant sine amaræ cæde! *recede.*

Chronost.

DVCIte Io! VItæ Longa & ConCorDIa fILa!
PaCIfICVs streperâ sIt sIne LIte thorVs!

His debitam exolvere voluit observantiam

JOHANNES ERNESTUS LINDNERUS,
Gyn. Pol. SS. Th. St.

QUis neget, ardenti quin, ô Amplissime Sponse,
Altipotens Numen Te complectatur amore?
Terris progenitum satis hinc distantibus, illis
Quas colit haud æquus Germanæ Sarmata genti,
In Germanorum medias Te detulit oras,
Has puto Misniacas; in queîs tum laudibus artes
Dignæ, tum virtus omnis, tum cœlica nostræ
(Quod caput) integritas fidei sortita videntur
Immotam & propriam longô jam tempore sedem.
Hìc tibi pro vigili doctrinæ nomina primùm
Ingenuæ studiô concessit clara Magistri:
Inde Professoris prægrande & honoribus auctum
Eximiis munus Philureâ tradidit almâ:
Pòst titulum adjecit mirâ bonitate recentem;
Scilicet haud Sophiæ porrò terrestris acutè,
Sed diæ gravius docturi dogmata sacra.
Jam Tibi moratam socialis fœdere lecti
Et genere insignem jungit formaq; venustam
Sponsam. O egregium divini pignus amoris!
A Dominô certè talis proficiscitur uxor,
A Dominô datur illa pio. Non ambigo, multùm
Vir venerande mihi, thalamum quin Numen id ipsum
Quòd tibi tàm clemens fuit hactenus, undiq; svavem,
Undiq; felicem quoq; sit votisq; petitum
Elargiturum. Fugiat procul improba rixa,
Cedat mœsta lues, turpis procul absit egestas,
Nec maneat natis thorus optatissimus orbus.
Hæc rudiore Tibi calamô paucissima, corde at
Plura precor, memori meritorum, Sponse, tuorum

JOHANNES GoCKERVs, FraVstaDIensIs,
SaCrosanCtæ TheoLogIæ In CeLebrI Istâ
LIpsIaCâ stVDIosVs.

NOvimus antiquos ritus de gente Polona
Dum thalami lætos vult celebrare dies.
Crescat ut ad summum robur Par nobile junctum
En bene constanti flore Corona datur.
Dat Fortuna; Etenim Fato connubia fiunt;
Serta sed heroum parta labore gravi.

Arcti-

Arctiùs ut cordis ſibi ſ contestetur Amorem
Aureus ut vinclum torques Amoris adeſt.
Dicitur & validis Prothcûs hærere catenis,
Cur? quòd eum vellent ſemper amare Dii
Cætera quæ populi peraguntur more, relinquo,
Inſoliti neq; nos magna cupido tenet.
Ars tua non minus hæc, Clariſſime Sponſe, meretur
Virtutiq; bonæ convenit hôcce decus.
Hunc Tibi Lar patrius clarum debebat honorem
Nî velles alibi quærere rebus opem.
Aſt plorare, tuis non reſpondere favorem
Speratum meritis, crediderim eſſe nefas.
Lipſia nam talem poſcit perſolvere laudem
Sponſam, Fœmineum dum modò ſidus habes.
Otia vel Ducibus capias conceſſa ſuperbis,
Queîs non vileſcit, ſed recreatur homo.
Pauci continui patientes eſſe Laboris
Poſſunt; Egregius teſtis Homerus erit.
Eſt equidem Tibi dulce, libris conſumere tempus,
Sed dum Sponſa trahet, credo licere ſequi.
Nunc dum votivum cupiam componere carmen,
Vix mihi pauliſper blandus Apollo favet.
Sic doleo, quòd non, cùm mens ſit fundere poſſim
Quæ raró ad nutum Carmina juſſa fluunt.
Nec tamen ex nimiâ queror hæc prurigine laudis,
Nam qui pauca legit, ſcribere pauca decet.
Hinc precor, ut binos quos copulat omine fauſto
Unus Amor, foveat ſorte vigente pares!
Hæc voti ſit ſumma mei. Redimite capillos
Sertis, hos mores poſtulat illa dies.

JOHAN. GODOFREDUS ROESNERUS,